B. N. C
FIRENZE
1050
2

1050. 2

REPRÆSENTATIO HISTORICA

MIRABILIS STATUÆ DANIELIS

Exhibentis

QVATVOR SVMMA MVNDI IMPERIA.

Quam

ANNUENTE DEO OPTIMO MAXIMO

&

CONSENTIENTE FACULTATE PHILOSOPHICA AMPLISSIMA

IN FLORENTISSIMA ACADEMIA REGIOMONTANA

Publico Examini ſubjiciunt

M. WILHELMUS Witzendorff

PRÆSES

&

THOMAS Höpfer AUGUSTANUS

RESPONDENS

In Auditorio Philoſophorum ad diem 3. Octobris

Typis LAURENTI SEGEBADI.

M. DC. XXXVII.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

Viris Ampliſſimis, Spectatiſſimis & Integerrimis

Dnn: CVRATORIBVS & DIACONIS Eccleſiæ Lutheranæ, quæ Amſtelrodami colligitur, vigilantiſſimis,

Dominis Fautoribus & Promotoribus meis æternùm obſervandis

hanc diſſertationem Academicam inſcribo

Thomas Hopfer
Auguſtanus.

QUemadmodum cæteris in rebus, quæ ſunt ingenio & induſtriâ hominum perveſtigatæ ad naturæ neceſſitatem utilitas ab iiſdem quæſita eſt: ut ſunt ferè artes omnes, quæ manu exercentur, inſtrumenta, machinæ, molitiones, civitates, cultus, veſtitus, ædificia, cæteraq; generis hujus: ſic etiam HISTORIA & inventa & culta & conſervata eſt, non ad futilem præteritarum, præſentiumvè rerum commemorationem; ſed ad humanæ vitæ inſtitutionem: ſicut & cæteræ quoq; bonæ artes atq; liberali homine dignæ. Nam ut Leges ad civium eorum, qui ſunt unis mœnibus, aut unius regionis finibus ſepti, conformationem, vivendique formam ſunt conſtitutæ; utq; morum ſcientia ad hominum omnium moderationem, medicina ad ſanitatem, artes liberales ad elegantiam, doctrinæ repertæ ſunt; ita HISTORIA ad incitandos PRÆCLARIS EXEMPLIS tanquam Legibus ad virtutem homines, eoſdemvè à vitiis deterrendos eventuum contrariorum ſimilitudine, ad componendos animi motus, ſedandoſq; rurſus, ad animi curationem, ad cultæ cognitionis ornatum. Tanti ſanè ſunt momenti EXEMPLA, quamcunq; in vitæ partem te vertas, tantum etiam conferre hiſtoriæ notitiam putandum eſt. Nam quod peregrinatio, ætas diuturna, cognitio rerum multarum, experimentum, conſilia, uſus, acumen, peritiaq; in homine aliquo minime negligenti & cordato, qui judicij vi omnia intelligat, notet, retineat, efficere potuit: id ſanè meliùs & veriùs efficiet HISTORIA, quæ & illa

omnia complectitur & tanquam totius vitæ humanæ tabula & ſpeculum eſt ad notitiam & prudentiam propoſita. Eò autem exactior melior & utilior illa eſt, quò *Univerſalior*. Hinc *Diodorius Siculus* Hiſtoriam abs rerum humanarum principio repetendam eſſe ſuadet, etſi ingenuè confiteatur, illud ſibi principium minimè liquere, accuſatq; veteres Hiſtoricos, qui non niſi unius aut gentis aut civitatis Hiſtoriam ſcripſerunt cùm ea non tam Hiſtoria, quàm Hiſtoriæ abruptæ quædam pars ſit. Equidem tanti Scriptoris non ſolùm judicio ſed etiam ingenuâ confeſſione delectamur ejusq; conſilium ſecuti hac vice QUATUOR MUNDI IMPERIORUM SUMMORUM indolem in mirabili DANIELIS STATUA contemplabimur.

Deus inſtituto annuat!

Theſ. I.

NABUCHODONOSOR, Rex Babyloniæ potentiſſimus, anno ſecundo Regni ſui mirabile in quiete viſum habebat; ſed poſtea ejus, ſomno excitus, perdiderat memoriam. Cùm igitur ejus ſomnij ſignificationem maximè cuperet nec eam à ſuis Sapientibus percipere poſſet; ſolus *Daniel* captivus Babylonem ductus inventus eſt, qui, quale fuiſſet ſomnium, indicavit *Regi*, & quidnam portenderet, veriſſimè declaravit.

Theſ. II.

Duo proinde hic perpendenda. I. *Somnium* ipſum. II. *Somnij Interpretatio*.

Theſ. III.

Somnium ipſum proponitur his verbis *Dan: 2. v. 31. ſeqq.*: Tu Rex videbas, inquit *Daniel*, & ecce quaſi

Statua

Statua una grandis: ſtatua illa magna & ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & intuitus ejus erat terribilis. Hujus Statuæ *Caput* ex auro optimo erat, *Pectus* autem & *Brachia* de argento; porrò *Venter* & *Femora* ex ære. *Tibiæ* autem ferreæ; *Pedum* quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.

Theſ. IV.

Statua hæc h. l. deſcribitur. 1. ab adjunctis *Proprietatibus*. 2. ab ipsâ *Partium materiâ*.

Theſ. V.

Quoad *Proprietates* fuit. I. *Una*, tum ſucceſſione, (quia unum regnum alteri ſucceſſit, & ex eo quaſi natum eſt, ſicut in ſtatuâ una pars alteri ſuccedit & inſeritur) tum mundanâ adminiſtratione (eſt enim quatenus mundana tota, una, etſi in ea diverſa regna fuerint) tum deniq; fine & termino, reſpectu ſcilicet ſummi Monarchæ Chriſti, in quem ultimò deſinent regna. II. *Magna, ampla, ſplendore præſtanti*, ut habet *Paraphraſis Chald.* Quæ omnia pertinent ad oſtendendam amplitudinē, gloriam & majeſtatem adminiſtrationis mundanæ. III. *Terribilis* 1. ob inuſitatam corporis molem & proceritatem & quia minaci ac terrifico vultu Regem aſpiciebat, ei quodammodo imminens: augebat etiam terrorem tam multiplex & diverſa Statuæ materia, inſignem aliquam rerum variationem portendens: maximè verò tanta diſſimilitudo & diſcrepantia inter Caput aurerum & Digitos ferreos, quâ ſignificari videbatur lapſus ex optimo ſtatu in viliſſimum & miſerrimum. Super omnia verò terribilis erat tantæ imaginis confractio & uſq; in pulverem reſolutio, facta ab illo lapide, in quo tria erant valde mira & portentoſa, quòd ſine manibus abſciſſus eſſet ex monte, quod primò parvulus, mox inſtar magni montis univerſam

 terram

terram occupâſſet; deniq; quod illiſus & impactus illi ſtatuæ eam contriviſſet, & uſq; ad pulverem commi- nuiſſet. Sed inprimis terrifica erat ejus imaginis ſigni- ficatio. Etenim magnorum imperiorum commutatiò fieri non poterat ſine magno terrore bellorum, ſine fœdâ principum cæde, ſine depopulatione & vaſta- tione regionum & populorum, ſine multâ hominum internecione.

Theſ. VI.

II. *Materia* Partium Statuæ quadruplex eſt. 1. Au- rum, 2. Argentum. 3. Æs. 4 Ferrum. Nam fictilem ſeu teſtaceam materiam bene monet ex *Theodoreto Benedi- ctus Pererius* non eſſe hic poſitam quaſi principalem Statuæ materiam, ſed tanquam ferro commixtam. Sicut enim quatuor regnorum mutationes ſignifican- tur: ita quatuor ſunt materiæ principales, quarum u- naquæque naturali ſuâ qualitate & proprietate ejus re- gni. cujus eſt ſignum, conditionem & proprietatem mirificè declarat.

Theſ. VII.

Præmiſsâ ſomnij enarratione Daniel aggreditur particulatim ipſam interpretationem, monſtrans, quid ſingulæ illius ſtatuæ partes propriè ſignificent.

Theſ. IIX.

Quatuor autem Regna, quæ quadruplicis mate- riæ varietate ſignificantur, manifeſtum eſt, eſſe Re- gnum Chaldæorum, Perſarum, Græcorum & Roma- norum. Quamvis pleriq; Calviniani quartam non de Imperio Romano, ſed Alexandri ſucceſſioribus intel- ligunt: quem diſſenſum poſtmodum in peculiari quæſtione ex profeſſo expendemus. Jam in interpre- tationem Danielis exactius inquiremus.

Theſ. IX.

Deſcribitur in illâ 1. REGNUM CHALDÆORUM. Dicitur autem I. Nabuchodonoſor Rex Regum, quia maximus erat omnium Regum ſui temporis, vel quia multis & magnis Regibus imperabat. Etenim per Jerem. c. 27. v. 6. prædixit Deus huic Regi multas gentes, magnosq; Reges ſervituros: & Habac. c. 1 v. 10. vaticinatur eum de Regibus triumphaturum: quin teſte Iſa. c. 47. v. 5. Babylon Regnorum Domina vocabatur.

Theſ. X.

Ne his quidem minora de hoc Rege ab alijs Scriptoribus prodita ſunt, veluti à *Beroſo in Hiſtoria de Rebus Chaldaicis, Megaſthene lib. 4 de rebus Judaic., Philoſtrato, Alexandro Polyhiſtore quos Joſephus priori libro contra Apionem & Euſeb. lib. 9. de præparatione Evangelicâ c. ultimo* commemorant.

Theſ. XI.

Ad hanc commendationem pertinet. 2. quando dicitur, univerſa quæ homines, & beſtiæ inhabitabant, Regis imperio fuiſſe ſubjecta; quamvis vel per Synecdochen, totum pro magnâ & principali parte ponatur, vel per Hyperbolem ſcripturæ uſitatam (*vide Geneſ 22. 17. & in 2. Reg. 1. v. 23. 3. Reg. 10. v. 27.*) ad exprimendam rei magnitudinem, illa ſupra veritatem extollatur.

Theſ. XII.

Eò 3. pertinet, quando Rex vocatur AUREUM CAPUT. In quibus verbis duplex latet Figura. Nam *primò* ponitur per Meton. Rex pro Regno: ſiquidem hîc non agitur de Regibus; ſed de Regnis: id quod patet ex eo, quod proximè ſequitur, *poſt te conſurget aliud Regnum*, quibus verbis non ſignificatur Regnum Perſarum ſurrecturum poſt obitum Nobuchodonoſoris,

ris, ſed poſt Regnum Chaldæorum, cui ipſe tunc præerat. *Secundò* Regnum Chaldæorum vocatur Metaphoricè CAPUT, quo ſignificatur principatus tum antiquitatis Geneſ. 10. 11. tum ſapientiæ Jeſa. 47. v. 13. *Tertiò* Regnum Chaldæorum vocatur metaphoricè CAPUT AUREUM, vel ut Jerem c. 51 v. 7. Calix aureus, quia non tantùm opulentum fuit & ſplendidum, ſed & feliciſſimum, ampliſſimum & glorioſiſſimum ut Daniel hîc v. 37. explicat. Nam breviſſimo tempore ſubjugatis Syris, Tyriis, Ammonitis, Moabitis & Ægyptiis, qui tunc erant potentiſſimi, atque à tempore Joſiæ cum Aſſyrijs & Babyloniis de imperio & ſummâ rerum decertarant, ampliſſimum evaſit. Vide Jerem. c. 27. 7. Hab. c. 1. v. 10. Adde Aureum dici, comparatione cum ſequentium Regnorum, tum potius eorum, ut habet *Pererius* quæ illud præceſſerunt, vel cum illo fuerunt. Præſens enim Nabuchodonoſori & Judæis erat Babyloniorum Regnum, opes, potentia & gloria, eâq; majorem nec ipſi parentes viderant; nec Poſteri puta Perſæ. Unde ipſis Babylonis gloria videbatur aurea.

Theſ. XIII.

Initium hujus Monarchiæ conſtituimus in NIMRODO, qui cepit potens eſſe in te[rra] Gen: 10. 9. ſive is ſit ipſe Ninus, quod vult *A[illegible]or.* ſive *Nini* Pater *Belus*, qui condidit Babylonem, ut volunt alij.

Theſ. XIV.

Varias mutationes paſſa fuit hæc Monarchia; operæ proinde pretium erit in certas aliquot Dynaſtias eam diſtinguere. Prima eſt à Nimrodo vel, ſi mavis, Nino ad caſum Sardanapali, cùm ab Arbace Medorum præfecto victus & imperio exutus fuiſſet. Hujus rebellionis

lionis conſcius & ſocius Beleſis fuit, cui Arbaces Babylonem & Aſſyriam commendavit, ipſe in Medos profectus. Dynaſtia igitur ſecunda eſt diviſi imperij in Aſſyrios & Medos. Medi usq; ad quartam ætatem, ut Dionyſ. inquit lib. 1. regnum tenuere, i. e. ultra annos 300. ut affirmat Cteſias, exuti à Cyro, ut Herodotus & Juſtinus ſcribunt. Aſſyrij verò progreſſu temporis aucti potentiâ, regnum Iſrael ſæpe infeſtârunt, tandem prorſus deleverunt, abductis in Captivitatem X. tribubus 2. Regum 25. Per ea tempora orta eſt nova Dynaſtia Babylone, quam tertiam appellare poſſis ductore *Nabonaſſare*. Hæc poſtea Aſſyriorum illam ſecundam ſuſtulit, ut è Joſepho videre eſt lib. 10. Atq; ex hac tandem prodiit *Nabuchodonoſor*, fortitudine, felicitate & potentiâ præcedentes Reges omnes facilè ſuperans.

Theſ. XV.

Monarchia hæc non multò poſt Nabuchodonoſorem à Cyro ſublata & in Perſiam translata eſt; cùm durâſſet ultra annos 1700.; de quâ re videatur *Herod. li. 1. Juſtin. lib. 1. Beroſus apud Joſeph 1. contra Apion. &c.*

Theſ. XVI.

In ſingulis Dynaſtiis ſeries Regum obſervanda. In primâ præfuerunt Belus, qui eſt ex quorundam ſententiâ Nimrod, Ninus, Semiramis, Ninyas, Sardanapalus. Cæteros in hac Dynaſtiâ omiſit Juſtinus, ut qui nihil memorabile geſſerint. Si quis tamen nôſſe deſiderat ſeriem integram, conſulat *Scaligerum in Appendice Euſeb. operis.* In ſecundâ Dynaſtiâ regnarunt Beleſis, Phul, Tiglath Pileſer, Sargon; Salmanaſſer, Sennacherib, Aſarhaddon. vide 2. Reg. 15 19. 2. Reg. 15 29. Eſa. 20. 1. 2 Reg. 18. 2 Reg 19. Hoc tamen notandum, in hac Dynaſtiâ deſiderari certam & continuam Regum ſeriem. Alteram partem hujus Dynaſtiæ

exhi-

exhibent Reges Medorum. Sunt autem hi: Arbaces, Mandauces, Soſarmus, Articas, Arbianes, qui & Cardiceas, Arſæos, Artynes, Cyaxares, Aſtyages, victus à Cyro. In Dynaſtiâ Tertiâ regnârunt: Nabonaſſar, Naſſius, Chinzerus, Dulilæus, Mardochembad, Arkeanos, Belithus, Aporonadicus, Herigebalus, Naſnoemondacus, Jeraedin, Saosducinus, Kiniladachus, Nabopollaſar, Nabuchodonoſor, Evilmerodach, Nerigliſſooror, Belſazer, Nabonidus ſeu Darius Medus.

Theſ. XVII.

Deſcribitur in Interpretatione Danielis II. REGNUM PERSARUM, quod dicitur conſurrecturum poſt Nabuchodonoſorem, minus illo: h. e. inferius humilius (ita enim vertunt vocē ארעא Vatablus & Septuaginta) Nabuchodonoſore, quod ſcilicet illo regnante jam eſſet inferius; creſcet tamen in Cyro, fietq; ſuperius, & alterum illud in Balſaſare evertet.

Theſ. XVIII.

Hoc eſt illud Regnum Perſarum, & Medorum, quod ideo v. 32. deſignatur per DUO BRACHIA: quia duo quondam regna fuerunt, quæ poſtea copulata ſunt in unum, cujus Rex fuit *Cyrus*, qui matre Medâ & Patre Perſâ natus eſt, atq; ut *Theodor.* ait per dexteram paternum genus, per ſiniſtram maternum ſignificatur.

Theſ. XIX.

Comparatur ARGENTO ob opulentiam atq; incredibilem vim ac copiam divitiarum: unde præter theſauros obvios & apertos Deus promittit Cyro theſauros abſconditos Eſa. 45. 3.

Theſ. XX.

Hujus opulentiæ multa & illuſtria extant monumenta. Primò Cyrus conditor imperij Perſarum victo Crœſo Lydorum Rege, totius Aſiæ ditiſſimo, adeò

ut

ut proverbij loco diceretur, ditior Crœſo, ſuperato item Rege Chaldæorum, omnes Lydorum & Chaldæorum opes in ſuam poteſtatem redegit. Quantum verò auri & argenti Cyrus debellatâ Aſiâ reportaverit, oſtendit *Plinius lib. 33. c. 3.* his verbis: Cyrus devictâ Aſiâ pondo auri XXXIIII. millia invenit præter vaſa aurea. Quâ victoriâ argenti quingenta millia talentorum reportavit. Deinde Perſarum opulentiam declarat Aſſverus, maritus Eſther in illo ſumtuoſiſſimo convivio, quod in exordio libri Eſther deſcribitur: ſed multo magis ante illum Xerxes in ſuo innumerabili exercitu, quo univerſam Græciam debellare voluit. Narrat Athenæus ſub initium lib. 12. de opulentiâ & luxu Darij Regis Perſarum, ſcribens, tempore Darij ultimi Perſarum Regis in eas jam delitias & luxum Perſarum Reges eſſe prolapſos, ut ad caput cubilis regij conclave eſſet, pariete uno interſitum, eâ magnitudine, quæ quinque lectos caperet, in quo ſemper eſſent condita talenta auri quinq; millia, quæ trecentis centenis millibus coronatorum æſtimantur, hocq; conclave cervical Regis appellabatur. Ad extremum demonſtrat hoc præda gazæ Perſicæ, quâ potitus eſt Alexander M, quam Curtius fuiſſe ait ad centum & quinquaginta ſeptem millia talentorum, absq; Babylonicâ pecuniâ.

Theſ. XXI.

Fuit tamen hoc Perſarum imperium felicitate & gloriâ inferius Chaldæorum imperio, ſicut argentum inferius eſt & cedit auro. Hoc eſt enim quod diſertè ait Daniel: Poſt te conſurget Regnum aliud minus te. Nabuchodonoſor ergo regno & gloriâ ſuperavit Cyrum & poſteros. Nam ut alia taceam, Cyrus illius con-

ditor infeliciſſimè cæſus eſt à Tomyri Reginâ Scytharum. Xerxes in Græcia à paucis cæſus & fugatus, infamem cladem accepit, ita ut ſolus in ſcaphâ fugere debuerit. Darius Codomannus miſerrimè ab Alexandro ſæpius fuſus, tandem regno & vitâ ſpoliatus eſt.

Theſ. XXII.

Duravit hoc Regnum ad annos 200. (non 130. ut Rollocus, Beroaldus, Paræus & alij putant, quos eruditè refutat noſter Excell. Dn. D. Behm, Chronologus hoc ſeculo incomparabilis in ſuâ *Chronol. lib. 2. tit. 3. c. 4.*) primus illud tenuit Cyrus; poſt hunc Cambyſes filius: deinde illud uſurpârunt Magi: Hinc obtinuit illud Darius Hyſtaſpis: hinc Xerxes: hinc Artaxerxes Longimanus; hinc Darius Nothus: hinc Artaxerxes Mnemon: hinc Darius Ochus; hinc Arſanes. Poſtremò Darius ultimus, ſub quo etiam everſum eſt Perſarum Regnum.

Theſ. XXIII.

Deſcribitur in Interpretatione Danielis III. REGNUM GRÆCORUM adumbratum *Ventre & femoribus* ex ære. Vocatur autem ÆREUM judicio D. Hieronymi, quia æs non tantùm forte eſt & durum, ſed & vocaliſſimum & ſonantiſſimum. Talis fuit Alexandri & Græcorum fama & gloria, non tantùm ob potentiam & bella fortiter geſta, ſed & ob ſapientiam & eloquentiam, quæ apud Græcos floruit. Præcipuè verò ſignificatur, famam Alexandri M. ſuper omnes Reges & Imperatores omni ævo fore clariſſimam ac celebratiſſimam. Videatur *Curtius, Juſtinus, & Plutarchus in vitâ Alexandri.*

Theſ. XXIV.

Comparatur hoc Regnum *Ventri & Femoribus.*

Primò

Primò quia ſicut venter ſubjacet pectori & brachiis, ſic Regnum Alexandri proximè ſucceſſit regno Perſarum. Secundò ſicut venter omnem cibum ad ſe trahit, eumq; ſtatim per membra diſpergit: ita Alexander plurima regna ſubegit; ſed ſtatim moriens eadem ſuis Ducibus diviſit. Tertiò notatur in ventre inſignis Alexandri intemperantia & ebrietas, quæ ei mortis fuit cauſſa: videatur *Curtius lib. 5*. Quartò in Femoribus ſignificatur luxuria non tam Alexandri, quàm ſucceſſorum ejus, Ptolemæorum in Regno Ægypti, qui ſolemne habebant, ſorores ſuas ducere in uxores.

Theſ. XXV.

Fuit ampliſſimum, ut h.l. indicat *Daniel*, inquiens, imperaturum illud univerſæ terræ, quamvis hyperbole ſubſit. Subegit *Alexander* totam Aſiam, Ægyptum, Syriam, Indiam & bonam Europæ partem. Hinc *Lyſippus* Statuarius ut amplitudinem imperij *Alexandri* ſignificaret, finxit ex ære *Alexandrum* ſupinâ facie cœlum ſuſpicientem, ſubjectis hiſce verſibus:

Æreus in cœlum ſuſpectans fare quid ajat
Jupiter, aſſerui terram mihi, tu aſſere cœlum.

Theſ. XXVI.

Duravit hæc Monarchia exactè 300. annos. Nam à morte *Alexandri* ſunt anni 294. ad mortem *Cleopatra*, *Ptolemao* teſte; addamus 6. regni *Alexandri* à morte *Darij* ex *Diodoro*, habebimus 300., quos expreſsè *Africanus* & ex eo *Euſebius de Demonſtr. Evang. atq; Hieronymus in Dan. 9.* nominant.

Theſ. XXVII.

Mortuo *Alexandro M.* in Regno quatuor *Dynaſtia* ortæ ſunt: quarum *prima* eſt REGUM SYRIÆ & BA-

BYLONIÆ, qui hoc ordine regnârunt: Seleucus Nicanor, Antiochus Soter, Antiochus Theos, Seleucus Callinicus, Seleucus Ceraunus, Antiochus Magnus, Seleucus Philopator, Antiochus Epiphanes (tyrannus ille celebratiſſimus,) Antiochus Eupator, Demetrius Soter, Alexander Bala, Demetrius Nicanor, Alexander Zebenna, Antiochus Grypus & Tigranos. *Secunda Dynaſtia* eſt REGUM ÆGYPTI. Sunt autem hi: Ptolemæus, Lagi filius, Ptolemæus Philadelphus, Ptolemæus Evergetes, Ptolemæus Philopator, Ptolemæus Epiphanes, Ptolemæus Philometor, Ptolemæus Phyſcon, Ptolemæus Lamyrus, Ptolemæus Auletes, Ptolemæus Dionyſius, Cleopatra. Tertia *Dynaſtia* eſt REGUM MACEDONIÆ, qui hoc ordine gubernârunt: Aridæus, Caſſander, Antipater, Demetrius Poliocretes, Pyrrhus, Lyſimachus, Ptol: Ceraunus, Meleager, Antipater, Soſthenes, Antigonus Gonates, Demetrius II., Antigonus III. Philippus, Perſeus. ultimus Rex Macedoniæ. Quarta *Dynaſtia* eſt REGUM ASIÆ MINORIS duorum, *Antigoni ſc.* Ducis *Alexandri M.* & *Demetrij*, Antigoni filij.

Theſ. XXIIX.

Deſcribitur in Interpretatione *Danielis IV.* REGNUM ROMANORUM, quod I. *Ferro* comparatur ob hanc cauſſam, quia, ut hîc addit *Daniel*, omnia comminuit & conterit. Et ſanè *Romani* domuerunt omnes gentes vel robore corporis & viribus prævalidas & feroces ut *Germanos, Gallos, Hiſpanos*, vel imperio tunc potentes, ut *Carthaginenſes*, vel majorum gloriâ, ſapientiâ & prudentiâ præſtantes ut *Aſiaticos*, vel terrarum longinquitate remotas, ut *Cappadoces, Ponticos, Armenios, Iberos, Albanos, Scythas*, vel Patrum ſuorum

rum ſanctitate & ſuæ Legis religione confiſos ut *Judæos*, quorum tamen religio inanis Deoq́; invisa eſt & ſuperſtitio magis, quàm religio nominanda.

Theſ. XXIX.

Fiebat autem hæc comminutio per exercitus, quos ad continendos in obedientiâ populos in ſingulis provinciis alebant. Unde *Tertul. lib. contr. Juda. c.7.* Quid de Romanis, ait, dicam, qui de legionum ſuarum præſidiis imperium muniunt? Itaq; ſparſas per gentes alebant continuò triginta duas legiones, ex quibus octo erant in Germaniâ, aliæ in Hiſpaniâ, Aſiâ, Africâ &c. ut docet *Baronius & alij.* Has legiones alebant tributis, quæ provinciis indicebant: & ad ea colligenda, adq́; provincias in officio continendas mittebant in eas Prætores & Proconſules. Hac ratione Romani omnia regna contriverunt, ſibiq́; ſubjecerunt, ut magnificè ſed verè dixerit *Martialis:*

Terrarum Dea, Gentiumq́; Roma,
Cui par eſt nihil & nihil ſecundum.

Et Liv: lib. 1. Nulla, ait, unquam Reſp. nec major nec ſanctior. Hinc *Propertius:* Omnia Romanæ cedant miracula terræ: Natura hic poſuit, quicquid ubiq; fuit.

Theſ. XXX.

Comparatur *II. Tibiis.* Quemadmodum enim tibiæ humani corporis infimam & ultimam partem conſtituunt: ſic *Romanum* Imperium poſtremum eſt, & ad conſummationem mundi durabit. Deinde tibiis ingredimur & currimus; ſic *Romani* belligerando & vincendo univerſum orbem peragrârunt. In tibiis magnum eſt robur & firmitas, ac ſuſtinetur; quare ſignificatur firmitudo & robur animi *Romanorum* ſuffi-

ciens ad tantam imperij molem ſubeundam & ſuſtinendam.

Theſ. XXXI.

Prædicitur in hac Interpretatione III. Regnum *Romanorum fore diviſum*, imò *ferreum & terreum*, ſimilitudine digitorum *ex parte ferreorum, ex parte terreorum* i. e. differens viribus, item diſſidens & diſcors. Etenim quadruplex inſignis diſcordia diverſis temporibus fuit inter plebem & Patres; quas diſcordias breviter enarrat *Florus lib. 1. Hiſtor. Rom. à cap. 23. uſq; ad 26. Primò* orta eſt diſcordia inter *Senatorium & Equeſtrem ordinem* propter judiciorum poteſtatem. *Deinde* conſequuta eſt quadruplex ſeditio; *prima à Tiberio Gracco* concitata; *ſecunda à Cajo Gracco*; *tertia à Lucio Apulejo Saturnino*; *quarta* fuit bellum ſociale, cujus incendendi per imprudentiam *Druſus Autor* fuit. Conſecuta deinceps ſunt quatuor illa Romanis exitialia inter patres diſſidia ſeu bella civilia; *primum* inter *Syllam* & *Marium*, *ſecundum* inter *Pompejum* & *Cæſarem*, tertium inter *Octavium* ſimul cum *Marco Antonio & Brutum* atq; *Caſſium*; quartum inter *Octavium & M. Antonium*. Taceo atrociſſima bella inter ipſos Imperatores de Imperij poſſeſſione dimicantes. Taceo diſcordias & bella civilia, quibus jam per aliquot annos Germania ferè tota conflagravit.

Theſ. XXXII.

IV. Orituræ dicuntur illæ diſcordiæ & diviſiones ex נצבתה *firmitate* juxta *Vatablum, Tremellium, Buxdorffium*, vel ut habent Biblia *Romana, Complutenſia, Pagnini, ex plantario* i. e. ex radice pedis ferrei. Plantarium enim teſte *Servio* vocatur ipſa planta pedis, quæ ex ſeminibus orta cũ radicibus & propriâ terrâ transfertur

fertur de uno loco in alium. Quaſi dicat: ex fortitudine & divitiis, quæ erant quaſi ferrum, i. e. robur Romanorum, tanquam radice pullulabit eorum ambitio; indeq; diſcordia, dum nec *Caſar Pompejum* ſuperiorem, nec *Pompejus Caſarem* parem patietur.

Theſ. XXXIII.

Dicitur V. in hac Interpretatione, *Romanos commixtum iri humano ſemine, ſed non adhaſuros ſibi, ſicut ferrum miſceri non poteſt teſta.* Hæc talem habent ſententiam: ad tollendas diſcordias inter *Romani* Imperij Principes & ad mutuam eorum concordiam conglutinandam firmandamq́; fore, ut illi per connubia invicem miſceantur atq; copulentur: eam tamen conjunctionem ſtabilem nequaquã fore. Patet autem I. hoc luculentiſſimis exemplis Monarchiâ ortum capiente; altero *Pompeij & Julij Caſaris* (ſiquidem *Pompejus* uxorem duxit *Juliam* Cæſaris filiam:) altero *Antonij & Octavij*, cujus ſoror *Octavia* in matrimonium *M. Antonio data* eſt; ea tamen iſtorum conjunctio & amicitia brevi tempore diſſoluta eſt; quin etiam in atrociſſimum odium & diſſidium converſa. Patet II. exemplis Imperio jam labaſcente. Nam in *Theodoſij M.* familiâ, cujus temporibus vel ſex exempla occurrunt tentatæ conſolidationis & corroborationis Imperij per conjugia. Etenim 1. *Theodoſius M.* contra Gothos à Gratiano Imperatore miſſus, & poſtea conſors Imperij factus in Oriente, ducit *Gallam* Gratiani ſororem. 2. ipſe Gratianus antea in Imperij ſocietatem aſcitus duxerat Conſtantij Imperatoris filiam. 3. *Placidia filia Theodoſij M.*, Gratiani neptis è ſorore ſoror *Honorij* Imperatoris nuptum datur Conſtantio Duci, & ipſe, Cæſar ſeu ſucceſſor in Imperio Occidentis declaratur. 4.

Ex

Ex hoc conjugio natus Valentinianus III Imperator Occidentis, ducit filiam Theodoſij II. conſobrini ſui, Imperatoris in Oriente nomine Eudoxiam. 5. ex hoc conjugio nata *Eudoxia* nuptum datur Hunerico, à Genſerico Vandalorum Rege, Hunerici Patre. 6. Eudoxia enim mater Valentiniano III. occiſo, coacta fuit nubere Maximo cædis Authori: quo conjugio ut liberaretur, evocat Genſericum Vandalorum Regem ex Africâ. Ille igitur in Italiam ingreſſus, fugato Maximo, Imperatricem, unà cum duabus filiab⁹ abducit, & poſtea remittit, retentâ alterâ, Eudoxiâ, quam filio uxorem dedit. Vide de his *Marcellinum & Tripartit. lib. 12 c. 1. 13.* Poteſt huc afferri *Caroli M. Imperatoris* conſilium, quando per nuptias *Irenes Imperatricis*, in Oriente, quas ambivit, conjunctionem utriusq; Imperij rurſum molitus eſt, cùm prius Irene Legatos ad Carolum miſiſſet, petitum filio ſuo filiam ipſius uxorem. Ac *Irene* quidem conſenſit in nuptias, fuitq; matrimonium utrumq; ratum, ſed à Proceribus Græci Imperij impeditum. *Otto ſecundus* Imperator duxit *Theophaniam*, Romani junioris Imperatoris Conſtantinopolitani filiam.

Theſ. XXXIV.

Regnum hoc Romanorum ſimpliciter quidem initium habuit ſimul cum *Urbe Româ*, quarto anno *Olympiadis ſextæ:* Monarchiæ tamen dignitatem habere cepit in *Julio & Auguſto*, *Cæſaribus*, & ſtabit usq; ad finem mundi: Quod inter alia etiam ex eo colligimus, quod *plantarium ferri* permanſurum ſit, & tantum roboris ſuperfuturum ſemper, ut nemo illud ante noviſſimum diem extirpaturus aut penitus deſtructurus ſit; quod & hodierno die manifeſtò perſpicimus.

Manet

Manet enim adhuc & durabit ad finem mundi ἀξίωμα & Majeſtas S. *Romani* Imperij, quod penes Germanos eſt præ cæteris regnis omnibus. Unde meritò IMPERATOREM NOSTRUM INVICTISSIMUM appellamus.

Theſ. XXXV.

Hactenus autem duravit annos 1680. *A Julio* Cæſare enim ad natum *Chriſtum* effluxerunt anni 43 à nato Chriſto ad præſentia tempora anni 1637. Qui ſi colligantur in unam ſummam, efficient annos 1680.

Theſ. XXXVI.

Principes ejus communiter *Imperatores*, *Cæſares*, *Auguſti* dicuntur. Numerantur à *primo* conditu hujus Monarchiæ ad tempora noſtra CXIIX. Ex quibus alij fuere ante, alij poſt diviſionem Monarchiæ in *Orientis* & *Occidentis* Imperium.

Theſ. XXXVII.

Ante diviſionem regnârunt XXXVI hoc ordine: Julius Cæſar, Auguſtus Cæſar, Claud. Tiberius Nero, C. Caligula, Claudius, Domit. Nero, Galba, Otho, Vitellius, Fl. Veſpaſianus, Titus Veſpaſianus, Domitianus, Coccejus Nerva, Trajanus, Adrianus, Antoninus Pius, M. Aurelius Antoninus, Commodus, Ælius Pertinax, Septimius Severus, Anton. Baſſianus Caracalla, Popil. Macrinus, Elagabalus ſeu Heliogabalus, Alexander Severus, Maximinus Thrax, Gordianus, Philippus Arabs, Decius, Valerianus, Gallienus, Fl. Claudius, Valerius Aurelianus, Cl. Tacitus, A. Probus, A. Carus, Diocletianus.

Theſ. XXXIIX.

Poſt diviſionem (factam à Conſtantino M. inter filios Conſtantinum, Conſtantem & Conſtantium) numerantur Imperatores LXXXIV. pro ipſius diviſio-

 nis

nis ratione diſtincti. Alij ſiquidem poſt inchoatam, alij poſt conſummatam regnârunt.

Theſ. XXXIX.

Inchoatam voco, cùm duo illa Imperia ſub unius Imperatoris regimine in unum quaſi ſubinde coaleſcebant. Atq; ad hanc Claſſem ſeqq. VIII. Imperatores pertinent: Conſtantinus M., Ejus Filij, Julianus Apoſtata, Jovianus, Valentinianus I. Valentinianus II. Gratianus, Theodoſius I. Magnus.

Theſ. XL.

Conſummatam (quâ duo illa Imperia ita diſtracta, nunquam ut deinde ſub unius Imperatoris Regimine cojerint) exceperunt LXXV. Imperatores. Ubi primò Oriens ſupra Occidentem effloruit: idq; vel ante, vel poſt Occidentis oppreſſionem. Ante oppreſſum Occidentem Imperatores Orientales III. numerantur, Arcadius, Theodoſius, II. & Martianus: Occidentales duo; Honorius & Valentinianus III.

Theſ. XLI.

Oppreſſionem Occidentis in Oriente ſecuti ſunt XXIV. Leo I. Leo II. Zeno, Anaſtaſius, Juſtinus, Juſtinianus, Juſtinus junior, Tiberius II. Mauritius Cappadox, Phocas, Heraclius, Conſtantinus, Heracleonas, Conſtans, Conſtantinus Pogonatus, Juſtinianus II. Philippicus Bardanes, Arthemius Anaſtaſius I. Theodoſius III. Leo III. Conſtantinus Copronymus, Leo IV. Conſtantinus F. Leonis. Irene.

Theſ. XLII.

Huc usq; Oriens ſupra Occidentem effloruit. Exinde mutatâ fortunâ Occidentem ſupra Orientem efflorviſſe cognoſcemus. Conſtituemus autem certas *Dynaſtias* quarum I. eſt CAROLIDARUM, continens X. Im-

X. Imperatores : CarolumM., Ludovicum Pium, Lotharium, Ludovicum II. Carolum II. Ludovicum III. Carolum III. Arnolphum, Ludovicum IV. Conradum. II. *Dynaſtia* eſt SAXONUM, continens. V. Imperatores Henricum Aucupem, Ottonem M. Ottonem II. Ottonem III. Henricum II. III. *Dynaſtia* eſt FRANCORUM, continens Imperatores V. Conradum II. Henricum III. Henricum IV. Henricum V. Lotharium II. IV. *Dynaſtia* eſt SVEVORUM, Imperatores VII. continens : Conradum III. Fridericum I. Barbaroſſam dictum, Henricum VI. Philippum Henrici VI. Fratrem, Fridericum II. Conradum Frid. II. filium, Richardum Angliæ Regis Fratrem. V. *Dynaſtia (* maximam partem) AUSTRIACORUM eſt, continens XIX. Imperatores : Rudolphum Habsburgenſem, Adolphum Naſſovium, Albertum Auſtriacum, Henricum VII. Luzelburgicum, Ludovicum Bavarum, Rupertum Palatinum, Sigiſmundum, Albertum Auſtriacum, Fridericum IV. Auſtriacum, Maximilianum I. Carolum V. Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. Matthiam, Ferdinandum II, Ferdinandum III. CUJUS REGIMEN AUSPICATUM ET ECCLESIÆ REIPUBLICÆQUE SALUTARE ESSE JUBEAT DEUS OPT. MAX. PACEM ET CONCORDIAM SUB EO STABILIAT NE SACRUM ROMANUM IMPERIUM EXTERNIS VIRIBUS PLANE CONCUTIATUR SED SUB SACRATISSIMÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS PROTECTIONE MAGIS MAGISQUE CRESCAT VIGEAT FLOREAT !

CORONIDIS LOCO SUBJUNGIMUS

Sequentes quæſtiones, dubia quæ in hac materiâ occurrunt, illuſtrantes.

Quæritur itaq; I. Quis fuerit ille annus ſecundus Nobuchodonoſoris Dan. 2. v. 1. quo ei accidit hoc ſomnium?

Diverſæ de hoc ſunt Interpretum ſententiæ. *Theodoretus* exiſtimat eſſe annum ſecundum ab initio Regni Nebucadnezaris. Sed falſam eſſe hanc ſententiam, patet duobus argumentis: tum quia poſtquam primo anno Regni Nobuchodonoſoris Daniel ductus eſt Babylonem, totum triennium conſumſit in addiſcendis literis & diſciplinis Chaldæorum, priusquam in conſpectum Regis veniret: tum etiam, quia primo anno Regni Nabuchodonoſor, quo Daniel ductus eſt Babylonem, erat ipſe Daniel annorum tantùm decem. Quocirca ſecundo anno Regni Nobuchodonoſor fuit undecim annorum; in quam ætatem nullo modo conveniunt, quæ de Daniele narrantur; ipſum videlicet fuiſſe eo tempore in numero Sapientum & propter interpretationem ſomnij fuiſſe conſtitutum à Rege Principem ſuper omnes provincias Babylonis & præfectũ ac magiſtrum ſuper ſapientes Babylonis. Placet nobis ſententia *Joſephi l. 10. Antiq. c. 11.* &, qui eum ſequuntur, Hieronymi, Pererij, Maldonati, Cornelij à Lapide & aliorum, ſtatuentium, hunc annum ſecundum eſſe computandum non ab exordio Regni Nobuchodonoſoris, ſed ab inſigni & memorabili victoriâ, quâ ille debellatis Ægyptiis lat ſſimè imperiũ ſuum protulit, adeò ut quodammodo Monarcha efficeretur.

Q. II. Ob quas cauſſas Deus impium Nabuchodonoſor dignatus fuerit hoc divino ſomnio?

Ariſtoteles quidem plané negat ſomnia cœlitus inſpirante Deo immitti. Rationes adducit 4 Prima eſt: ſi à Deo immitterentur, tunc viris bonis & pru- denti-

dentibus ea daret. At ſecus fit. Somniant enim indocti, gregarij & mali, imò quò quisq; naturâ, magis eſt loquax, eò magis inſomnijs viſionibusq; utitur. Secunda eſt: Bruta ſomniant. Quod Brutis commune eſt, non eſt divinum. At brutis ſunt Communia cum homine Ergo. Tertia eſt: ſi Deus hominibus viſa immitteret, faceret potius interdiu, ut homines ea diligentius contemplarentur. Quarta eſt: Deus non eſt invidus E. non agit per obſcura ſomnia, ſed potius apertè ſuos de agendis aut futuris monet. Rationes hæ ſunt infirmæ ſatis & per ſe corruunt. In contrarium enim exempla poſſent adduci quàm plurima, Abimilechi ſc, Joſephi, Magorum &c. Imò ipſe Daniel negat; ſe viſionem hanc ex humanâ ſapientiâ habere & inſuper Regi indicat, Chaldæos nullo modò potuiſſe ſomnium aperire, & deniq; addit, Deum ſibi hoc myſterium revelâſſe. Quibus præmiſſis ad quæſtionem reſpondemus, Nabuchodonoſori hoc ſomnium oblatum fuiſſe, ideò, ut agnoſcens inſtabilitatem & brevitatem regni ſui non multò poſt aliam gentem transferendi ſpiritus ſuos deponeret; ſeq; ſubmitteret vero Deo in cujus poteſtate eſſe diſceret, regna quibuscunq; vellet, dare, vel aufferre: nec ſuperbè inſultaret Hebræis, tunc ſub ipſo Captivis, eósve inhumaniter tractaret.

Q. III. Cur tantùm quatuor illa regna Chaldaeorum Perſarum, Graecorum, Romanorum per ſtatuam fuerint ſignificata?

℟. Quoniam hæc fuerunt florentiſſima, ampliſſima, reſpectu reliquorum Regnorum, ſc. Sicyoniorum, Athenienſium, Lacedæmoniorum, & Lydorum. Deinde hæc imago ſignificabat converſionem

non

non quorumlibet Regnorum; ſed eorum, quorum unum ita proximè ſucceſſit alteri, ut poſterius everteret prius, & prioris ruina poſterioris imperii origo & dilatatio eſſet. Id quod in his quatuor Regnis Chald. Perſ. Græc. Rom. eveniſſe, liquidè cernimus: quo fit, ut extra hujus imaginis ſignificationem ſint antiqua Ægyptiorum, Scytharum & Chartaginenſium imperia, quæ nec inter ſe, nec cum his quatuor Regnis prædictum ordinem & ſeriem ſucceſſionis habuerunt.

Q. IV. An per quartum Regnum intelligenda quatuor illa regna, quæ obtigerunt Succeſſoribus Alexandri M.?

Ita ſtatuunt *Tremellius*, *Fr. Junius*, *Polanus*, *Piſcator*, *Robertus Rollocus*, fundamentum ſuæ ſententiæ deſumentes *ex c. 11. v. 4. Danielis.* Nos contrariam defendemus ſententiam; proinde ſic argumentamur: Quæcunq; regna non ſunt diverſa à tribus illis Regnis à Daniele præfiguratis, ſed cum aliquo eorum planè conveniunt, illa regna non ſunt intelligenda per quartum *à Daniele* præfiguratum: Atqui quatuor regna Succeſſorum ſeu Ducum Alexand. M. non ſunt diverſa à tribus illis regnis à Daniele præfiguratis; ſed cum aliquo eorum conveniunt: Ergo quatuor regna Succeſſorum Alexandri M. non ſunt intelligenda per quartum regnum à *Daniele* præfiguratum. *Major* probatur *ex c. 7. v. 19*, ubi quarta beſtia dicitur שניה מן כלהן varians à cunctis iſtis, diverſa, alia. Adde verſum 7. *& 23. Minor* patet ex *v. 6. c. 7.* Nam quæro, quid ſignificetur per quatuor alas & quatuor capita Tertiæ Beſtiæ? Reſpondent ipſimet, eſſe regna quatuor principalia Succeſſorum Alexandri; & quidem rectè; ſiquidem ipſe Daniel manifeſtè ita exponit *cap. 8. v. 22.* Adde *c. 11. v. 4.* Cùm igitur 4. regna Succeſſorum

Alexan-

Alexandri pertineant ad Tertiam Beſtiam, profectò ad Quartam referri nequeunt, quæ prorſus alia, diſtincta & numero diverſa eſt. Verſus 4. c. 11. alteram partem parum juvat. Quatuor enim venti, quorum ibi mentio fit, non ſunt conferendi cum quarta beſtiâ, vel quarta parte Statuæ; ſed cum capitibus quatuor tertiæ beſtiæ, quemadmodum Tremellius & Rollocus ipſi fatentur.

Q. V. Cur Statua retulerit formam hominis?

R. Quia ſignificabat converſiones regnorum: ratio autem regni potiſſimum in hominibus conſiſtit i. e. in Rege & Subditis: regni quoq; ſplendor, nobilitas, potentia, antiquitas, magnificentia & fortitudo præcipuè in hominibus poſita eſt: quin commutatio Regnorum ob imperij ex unâ gente in aliam translationem maximè fieri ſolet.

Q. VI. An viſio hujus Statuæ differat à viſione 4. Beſtiarum cujus mentio fit c. 7. Dan.?

R. Datur hîc quædam convenientia, datur etiam differentia. Conveniunt dupliciter, tum in refigurata & ſignificatâ, quæ eſt mutatio illorum quatuor Regnorum; tum in modo viſionis: utraq; namq; accidit dormientibus per ſomnium. Sed pluribus modis differunt. 1. tempore. Nam viſio capitis ſeptimi evenit poſt hanc aliquot annis. 2. ratione Perſonæ. Nam illa ſoli Danieli; hæc primùm Regi, tum Danieli etiam obvenit. 3. ratione quantitatis, figuræ ac ſimilitudinis. Nam hæc ſub ſpecie unius Statuæ expreſſa eſt, illa ſub ſimilitudine quatuor animalium, Leænæ, Urſi, Pardi, & quartæ beſtiæ, cujus nomen tacetur. Ad hoc in illâ viſione quæ ad ſingula prædictorum quatuor regnorum pertinent, ſubtilius, uberius & diſtinctius explicantur.

Q. VII.

Q. VII. Cur Regnum Perſarum dicatur minus Regno Chaldæorum, cùm ex Scripturâ conſtet, ditionem Perſarum multò fuiſſe ampliorem quàm Chaldæorum: ſiquidem in libro Eſther c. 1. & 10. Aſſverus ille Perſarum Rex imperium habuiſſe dicitur ab Indiâ uſq; ad Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem provincias cunctasq; maris Inſulas: tantum autem non fuiſſe Chaldæorum imperium per ſe manifeſtum eſt. Quid? ſi Cyrus primus Perſarum Rex regnum Chaldæorum bello captum adjunxit ſuo, nonne quod ex utroq; conflatum eſt imperium majus fuiſſe neceſſe eſt?

℞. Daniel hoc dixit de Regno Perſarum, non prout poſtea futurum erat, ſed prout erat tunc, regnante Nabuchodonoſore, quo tempore multò anguſtius & obſcurius erat, quam tunc erat Chaldæorum: vide ſuprà theſin 14.

Q. IIX. Quomodo 4. Regna Succeſſorum Alexandri unam Monarchiam conſtituant?

℞. Non per ſe ſeparatim conſiderata, ſed conjunctim hoc axioma merentur, haut ſecus ac de mortuo Principe omnes præfecti conjunctim repræſentant Principem, adeò ut ſi quæ pars ditionis ab extero avellatur, illa non Præfecto, ſed toti Principatui decedat. Ita Romani etiam ereptâ Aſiâ, occupatâ Macedoniâ, Græciâ, Syriâ, diminuere quidem Græcorum Monarchiam dicuntur; extinxiſſe verò & ad ſe tranſtuliſſe dici propriè non poſſunt, antequam ultimam partem Ægyptum ſubegerint.

Litera-

Literatiſſimo Dno. Reſpondenti amico dilecto:

DUm proprio paſſim rigat omnia ſanguine miles,
Ut decus & vires aſſerat Imperij:
Tu, quoq; militiæ literatæ nomina ſacrans,
Defendis vires Imperiiq; decus.
O felix miles, ſi, quod ſine ſanguine nullus
Miles agit, docto perficias calamo!

f

Valent. Thilo Eloq.
PP.

Epigramma.

Ad Præſtantiſſimum Dominum Reſpondentem, de ſublimi Danielis Statuæ repræſentatione, erudite ſtatuentem.

ANnorum ſortes everſaq; regna triumphis
Quiq; fuit fato, faſcibus ordo mori
Et Rex in magno vidit quæcunq, Coloſſo,
Omnia vatidici ſunt Danielis opus.
Sed quæcunq; ſacro condit cortina receſſu
A quibus & vulgum, quam procul eſſe decet
HOPFFERI labor eſt, ſub clara m ponere lucem
Perſpicere ut quivis, vel ſine nube queat.
Hinc illi doctos, decrevit Apollo triumphos
Præmia & à Muſis, ex Helicone capit

Viribus

Viribus ingenij, nam qui ruta regna reducit
Vincit is ingeniô, regna ſepulta ſuô.

Ita Contubernali ſuo gratulabundus acclamabat

Albrecht Dietrich Fröbner
Eques Boruſs:

Modeſto ac bene literato Juveni Viro, Dno: Thomæ Hopfero Auguſtano, de Auguſtâ ac Imperiali Danielis ſtatuâ verè eruditeq́ ſtatuenti, hanc ſinceræ affectionis ſtatuam ſtatuo

Erasmus Haffgardus Scano Danus.

V*T ſtatuâ* Babylon *primâ*, populos *Ninus* omnes
Duxerat à veri relligione DEI:
Sic *ſtatuâ* Babylon *Daniel* nos ritè *ſecundâ*,
Inſtruit in veri cognitione DEI.
De tali *ſtatuâ*; *ſtatuis* quia vera, perennes
O Thoma *ſtatuas*, ipſe tibi *ſtatuas*!

Z 1050.2

M 457404

Mc